







# INDEX.

**A.**

De Administratorijs Honorum  
Ecclesiasticorum. 2.

Adtionum injuriarum injuria.

Dami Halberstadiensis in 9.  
die Inerit ejectione. 14.

Apotafia Luciferi cum Angelis  
suis. 12.

**B.**

De Honorum Ecclesiasticorum  
Administratorijs. 2.

**C.**

Contractu non plecto. — 8. no.

**D.**

De Doctrina et vita Haymonis  
Episcopi Halberstad. 13.

Doctrinum primitive Ecclesia  
vario dicendi, disputandi  
genere. 15.

**E.**

De Ecclesiasticorum Honorum ad-  
ministratorijs. 2.



F.

I. 3. nō.  
 De jure Parochiali. 1.  
 iniustitia vocatur facta ad  
 damorem Populi. 3.  
 Interpretatione facienda contra  
 eum qui claris loqui debuit. 9.  
 iniustitia iniuriarū aē. 10.  
 iniuriarū aē iniustitia. 10.  
 Friburgi Pontificij superditioe. 11.

G. Q

*[Faint handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side]*

H.

De Haymonis Episcopi Halbestad.  
 vita & doctrina. 13.

K.

von Kirchen-Vorstehern. 1.

L.

De Luciferi cum Angelis suis Apo-  
 stasia. 12.



M.

X.  
Non legibilibz scripturis. 6.  
Non p̄lecto Contractu. 8.  
Testamento. 7.

O.

P.  
De Parochiali iure. no.  
non p̄lecto Testamento. 1.  
Contractu. 7.  
Pontificij Jubilæi sup̄stitioe. 8.  
11.

R.  
De resignate vocationis renouate. 4.

S.  
De scripturis non legibilibz. 6.  
sup̄stitioe Jubilæi Pontificij. 11.



**T.** nō.  
De Testamento non pulchro. 7.


**U. V.**  
De Vita et doctrina Haymonis  
Episcopi Halbestadensis. 13.  
Vocationis ad Camorem populi  
facta iniuria. 3.  
Vocationis resignatae renova-  
tione. 4.  
Vocatione primaria et secun-  
daria. 5.  
Unleserlichen Gesiften. 6.  
Ungerichtigkeit der iniurien  
Proceffe. 10.



B. 138.  
H.









1a

A  
SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPE  
AC DOMINO

**DN. FRIDERICO**  
**REGE BORVSSIÆ ET ELECTO-**  
**RE BRANDENBURGICO**

&c. &c. &c.

DOMINO SUO LONGE CLEMENTISSIMO  
CONSTITUTUS

PROFESSOR JURIORUM EXTRAORDINARIUS

**JVSTVS HENNINGVS Böhmer** L.  
JURIORUM LICENTIATUS

**PRÆLECTIONES PUBLICAS**

AD

**JUS CANONICUM**

INTIMAT

*semulque*

DE CAUSIS ADDISCENDI HUIUS JURIS.

QVÆDAM PRÆFATUR




HALÆ MAGDEBURG.

Typis JOHANNIS GRUNERI, Acad. Typogr.







Uodsi iudicia Doctorum de præstantia  
& æquitate juris Canonici evolvamur,  
adeo eadem variare videmus ut fere di-  
cere possimus, quot capita tot sensus. Si-  
cuti enim non unus idemque omnium  
est gustus, sed alii appetunt dulcia, alii  
acida imo alii tam deprævato sunt præ-  
diti gustu, ut quæ communiter ab omni-  
bus reprobari solent, ab his solis probentur: Ita quoque ju-  
dicia Doctorum sunt sæpius comparata, ut non tam ex rei  
veritate rem metiri, quam suo sensui indulgere velint. Cum  
enim alii delicias quarant in rebus abstrusissimis & subtilita-  
tem meram spirantibus: alii ut defendant maxime barbara &  
quæ a ratione & religione sunt alieniora, cupiditate ducantur:  
alii contra nil nisi delicatum, & ex omnib, numeris perfectum  
appetant, non mirandum quod una eademque res laudetur  
ab his culpetur ab illis. Prout itaque quis ducitur hac vel  
illa animi sententia & affectu, ita iudicare solet. Jam dudum  
eadem fata habuit jus Canonicum, neque hoc ipso tempore,  
destituitur suis Encomiastis & Oforibus, dum alii in totum illud  
damnant, alii nescio quem thesaurum inibi latere arbitrantur.  
Zieglerus in *diff. de origine & increm. juris Can.* §. 76. illud vocat  
lernam malorum, & porro de eo prædicat, quod ita corrupte-  
lis & impietatibus infectum sit, ut satius sit, totum illud opus  
negligere & aliunde addiscere, quod Ecclesiæ & Reipubl. sit  
conducibile. Henricus Cornelius Agrippa *de vanit. scientiarum*



c. 92. vehementer illud ipsum jus exagitat, docens illud continere avaritiæ ingeniosæ præcepta & rapiendi formulas. Mitius iudicium fert de eo Schilterus in *præfat. ad Juris Can. instit.* & non tantum canones, sed & Epistolas Pontificum Decretales iusta & probabili ratione niti existimat. Et infinitum foret, si omnia Doctorum iudicia de jure Canonico conglomerare & hic adducere vellem.

Quod igitur alias officium æqui rerum æstimatoris esse solet, ut non iudiciis alienis capiatur & cæco impetu ad aliquid approbandum vel laudandum ex aliorum sensu feratur, sed absque affectu examen ipsius rei, de qua iudicium ferendum, instituat; id quoque maximopere observandum hic esse arbitror. Nemo enim negabit, usum aliquem juris Canonici adhuc in nostris foris superesse, adeoque e re esse, ut penitius, quantum veritatis in iudiciis Doctorum lateat, inquiretur. Et certe qui saltim intentionem Pontificum eorumque doctrinam intruetur, facile in eorum transibit sententiam, infinita in hoc jure occurrere, quæ salva æquitate & probitate subsistere nequeunt. Adduco saltim illud unicum de Hierarchia Romana, ex qua tanquam fonte putrido tot pullularunt falsæ & erroneæ sententiæ & constitutiones, ut non possint non stabilire dominatum Cleri. Quis ignorat falsas Hypotheses de Ecclesia, Matrimonio, de Excommunicatione, Hæresi aliorumque criminum Ecclesiasticorum? Et tamen hæc spuris doctrinis totum jus Canonicum repletum est, alia brevitatis studio ut jam non tangam.

Equidem nihil tam impium & absurdum invenitur, quod non aliquid sani in se contineat, ita etiam jus Canonicum, plura scita complectitur, in quibus merito palmam juri Civili dubiam facit. Sed si dicendum quod res est, illa vix tantæ erunt, ut proinde approbari tanquam a potiori parte debeat, quin potius pluribus scatet erroribus, quam sanis doctrinis.



Nimis autem pröderet sine dubio imprudentiam suam, qui exinde statim intempestive inferre vellet, illud proinde plane esse rejiciendum, & spernendum, nullamque causam superesse, quare illud addisci debeat. Sæpe enim necessitas nos cogit aliquid addiscendi, quod seposita illa necessitate esset, fusque deque habendum. Sæpe conducit optime cognitias habere malevolorum artes, non ut easdem imitemur, sed ut eo cautiore simus, ne per easdem decipiamur. Quemadmodum itaque tuto navigant, qui scopulos hinc inde in mari prorumpentes evitare norunt, & si necessario per tale periculosum æquor iter suscipiendum, illud propterea non intermittunt, quod syrtibus aliisque infinitis laboribus, qui superandi, obnoxium sit: ita quoque in cursu juris, ubi illud laboriosum & scopulis plenum æquor, jus Canonicum intelligo, transeundum est, duo extrema vitanda esse arbitror, ut scilicet illud studium propterea plane non deseramus, quod nævis infinitis scateat, cum cursus studii juridici ex causis mox dicendis per hunc profundum abyssum sit desumendus, nec etiam propterea defectus diffimulemus, quia illud addiscendum est. Illud enim hominis præcipitantia laborantis est, hoc vero illis relinquendum, qui præjudiciis autoritatis occæcati faciem genuinam rerum aliter sibi animo & menti repræsentant, quam revera est.

Ut itaque causas, quæ necessitatem jus hoc addiscendi juri operam danti imponunt, aperiamus, neminem ignorare arbitror, jus Canonicum tempore reformationis non in totum esse rejectum, sed plurimis in causis adhuc retentum. Ostendit enim jam Ill. Dn. Strykius in *discursu præliminari ad usum modern.* obrufum fuisse Germanis Jus Canonicum a Pontificiorum Tyrannide, adeoque vigorem in Germania habuisse, antequam Jus Civile introduceretur & reciperetur. Cum itaque post reformationem autoritas ejus quodammodo deliquium pateretur, & Lutherus ipse illud rejiciendum



dum esse arbitraretur, ægre tamen id ipsum tulerunt JCTi, quod dediscere deberent, quæ in ipsorum animis tam altas egerant radices, hinc fiebat, ut ubique adhuc ad illud provocarent, de tota jurisprudentia & sua arte actû esse existimantes, si illud in totum rejiceretur. Magis ergo operam dederunt, ut rejectû fere jus Canonicum erigerent, quam ut ad ejus depressionem manus attulissent auxiliatrices. Equidem in causis Ecclesiasticis defectus ibi occurrentes dissimulare non poterant, adeoque certas sibi formabant regulas, juxta quas genuinum ejus usum metiri vellent, quæ tamen ita comparatæ erant, ut semper incertum maneret, an hoc vel illud ex Jure Canonico esset retentum. Inde infinita confusio oriebatur, dum principia quidem damnarent, conclusiones autem ex illis principiis deductas incaute adorarent, quod exemplo doctrinarum matrimonialium illustrari potest.

Alii qui præsertim in causis Ecclesiasticis Juri Canonico non multum fidendum esse recte arbitrabantur, eo consilia sua dirigeant, ut Principibus suis autores essent de novis constitutionibus Ecclesiasticis condendis, juxta quas decisiones causarum Ecclesiasticarum essent formandæ. Felicitè negotium succedere videbatur, hinc passim constitutiones tales in territoriis concinnabantur, quæ adhuc hodie ubi vis obviæ sunt. Sed cum negotium conficiendarum harum constitutionum nemini rectius committendum esse videbatur, quam ipsis JCTis, eveniebat, ut quæ rejici debuissent, de novo stabilirentur, Nullis enim aliis principiis JCTi imbuti & tincti erant, quam juris hujus Canonici & sic fere constitutiones hæ Ecclesiasticæ compendium quoddam Juris Canonici, quatenus ad causas Ecclesiasticas spectat, repræsentare videbantur. Adeoque emendatio hæc caruit successu. Neque vero hæc a veritate aliena esse facile apparet, si modo collatio constitutionum Ecclesiasticarum cum jure Canonico



instituat. Ostendi id nuper in tractatu *de jure Parochiali*, ubi perpetuam collationem juris Parochialis, quatenus ex ordinationibus Ecclesiasticis dependet, institui cum scitis juris Canonici de jure Parochiali disponentibus, & tantam similitudinem reperi, ut aliam inde nequire conclusionem non potuerim, quam totum jus nostrum Parochiale ex putridis principiis juris Canonici promanasse. Qui itaque genuinum interpretem harum constitutionum agere cupit, nã absq; hujus juris scientia felices progressus facere nequit. Unde vel ex hoc solo sese commendaret hoc studium, nisi adhuc alia superessent causæ. Scilicet cum interpretis boni sit rationes legum sequi, & inde genuinum earum eruere sensum, quis poterit fluctus & labores Dd., qui in jure Ecclesiastico ubique moventur, feliciter superare, qui abjecto hoc studio ita illotis manibus interpretem agere cupit. Doctorum enim opiniones adorare est fluctuare. Illas autem sub examen revocare, genuini est interpretis. Ast quam multa adhuc in nostro jure Ecclesiastico deprehenduntur, quæ unice fundantur in jure Canonico. Recurrendum ergo semper ad hunc fontem, si veras & non spurias admittere velimus rationes.

Neque vero extra jus Ecclesiasticum usu suo destituitur jus Canonicum, cum sciamus, in illis, quæ ad processum spectant, nos magis inhærere juri Canonico quam civili, quinquod specialia remedia hodie ex jure Canonico indulgeantur, quæ exinde addiscenda uti in causis spolii, dignoris &c. Rescriptorum doctrinam fere unice hodie debemus juri Canonico, ceu speciali dissertatione edocuit Ill. Dn. Strykius *de Falsitate precum Principi oblatarum*. Neque desunt hodie Ecclesiæ Cathedrales, collegiatæ capitula, canonicatus aliaque, quæ decisionem causarum suarum ex jure Canonico petunt, quod



quod Idem in differt. *de jure papali Princip. Evang.* illustravit. Quamvis itaque in hic omnibus materiis, ubi adhuc in viriditate est observantia, plures scopulos deprehendamus, ut forte et re Ecclesiae & Reipubl. esset, si ad puriorem fontem recurrere possimus, tamen cum conditio rerum non aliter ferat, hoc studium tanquam necessarium quoddam malum tamdiu non deferendum, donec breviori via per emendationem necessariam ad tramitem veritatis pervenire possimus.

Præmittere hæc brevibus operæ pretium esse duxi, qui prælectionibus publicis hoc ipsum jus, de quo hæctenus edisserui, explicare constitui. Postquam enim ex gratia Potentissimi Borussiae Regis, FRIDERICI, Domini mei longe clementissimi nuper ad munus Professoris juris extraordinarii in hac alma Fridericiana admissus fui, nolui deesse meo mihi clementissime a Regia Majestate demandato officio, sed memor mei muneris elegi Jus Canonicum, quod publicis prælectionibus docendo illustrarem & interpretarer. Cum enim privatos intra parietes hæctenus fundamenta juris ad ductum institutionum ad finem per duxerim, collegio Grotiano, in quo jus Naturæ explico, mox etiam finem impositurus & pro continuando cursu (ut vocant) juridico jam quidem ante paucos dies B. Struvii Jurisprudentiam hora undecima matutina & Digesta ad methodum Lauterbachii hoc hyberno semestri interpretanda susceperim, ad reliquas partes juris deinceps, si Deus vires & vitam concesserit progressurus, non incommodum esse duxi, juri Canonico publicas destinare prælectiones, quo eo breviori spatio cursus integer absolvi possit. Cum vero de compendio quodam, cujus methodum sequerer, cogito, ad manus venit Caroli Andreae Arntneri *Nucleus juris Canonici*, in quo universum jus Canonicum ad feriem librorum quinque decretalium sat commode excussum esse animadverto, cum simul




simul viderim in calce adjectum esse usum Protestantium; hinc me feliciori & breviori via progredi posse credidi. Elegi itaque hunc Autorem, ad quem publicas prælectiones instituerem, ea usurus fidelitate & methodo, quam hæcenus in omnibus meis collegiis privatis adhibui. Imprimis vero operam dabo, ut doctrinas juris Canonici ex origine sua repetam & a spuriis prætextibus vindicem, ubique veritatis studium, cuius solo amore ducor, aperte profitendo. Auspicabor itaque V. D. has publicas prælectiones d. III. Nov. anni currentis 1701. *hora decima matutina* in Auditorio publico & ita in ipsa interpretatione me temperabo, ne diffusiori explicatione tædium honoratissimis Dominis Auditoribus creem, interim tamen finem, quem proposui, assequi possim. Elargiatur tertium Numen gratiam suam & vires, quo hi labores dirigantur in sui nominis gloriam, & Reipubl. pariter ac omnium nostrum, qui huic studio operam dabunt, salutem & commendationem. P. P. Halæ Magdeb.  
d. XXIII. Octobr. 1701.













00 A 6457

ULB Halle

3

002 937 840




VD 17











1a

A  
SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPE  
AC DOMINO  
**DN. FRIDERICO**  
REGE BORVSSIÆ ET ELECTO-  
RE BRANDENBURGICO  
&c. &c. &c.  
DOMINO SUO LONGE CLEMENTISSIMO  
CONSTITUTUS  
PROFESSOR JURIORUM EXTRAORDINARIUS  
**JVSTVS HENNINGVS** Böhmer / L.  
JURIORUM LICENTIATUS  
**PRÆLECTIONES PUBLICAS**  
AD  
**JUS CANONICUM**  
INTIMAT  
*semulque*  
DE CAUSIS ADDISCENDI HUIUS JURIS.  
QVÆ ADAM PRÆFATUR  
-----  
HALÆ MAGDEBURG.  
Typis JOHANNIS GRUNERI, Acad. Typogr.